



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**S. Francisci Xaverii E Societate Iesv Indiarvm Apostoli
Novarvm Epistolarvm Libri Septem**

Francisco <de Javier>

Romæ, 1667

Epistola XI. Eidem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46129](#)

E P I S T O L A X I.

E I D E M.

C Arissime in Christo Frater. Deus Do-
minus Noster dignetur invigilare sem-
per in custodiam tui; & firmam tibi vale-
tudinem viresque multas præbeat, quas im-
pendas universas in ejus obsequium. Pluri-
mum me delectarunt tuæ literæ, quas novif-
simè accepi; utique in his extantibus mani-
festis indicijs diligentiae ingentis, quâ elabo-
rasti in præmuniendo comparandoque isto
populo adversis incursiones Badegarum: ne
ab ijs improviso deprehensi opprimantur.
Profectus itinere terrestri perveni ad Pro-
montorium, ut inviserem miseros illos Chri-
stianos qui superfuerunt latrocinio & crude-
litati Badegarum. nusquam miserius spectacu-
lum. vultus exangues & fame luridi; stra-
ges per agros fœda h̄ic cadaverum insepu-
torum, h̄ic ægrorum ex vulneribus aut mor-
bis prorsus incuratis agentium animam. Se-
nes decrepiti, viribus ætate ac inediâ defe-
ctis, frustra molientes gressum, non nuspia
parturientes in viâ publicâ, Viris circum-

H 3 eas

118 S.FRANCISCI XAVERII

118 S.FRANCISCI XAVERII
 eas nequidquam satagentibus, in extremâ universis communi rerum omnium inopiâ. Hæc si tu (quod mihi contigit) subiecta oculis cerneres, transfigerent (scio) cor tuum immediabili miserationis telo. Omnes pauperes curavi deportandos Manaparem, ubi maximus jam est numerus ejus afflictissimæ Gentis; nobis curandus prout potuerimus. Ora Deum Dominum Nostrum, ut tangat corda divitum aliquâ Misericordiâ tot Infelicissimorum, ultimâ egestate contabescientium. Spero me prefecturum Punicalem quartâ feriâ. ne remittas, quæso te, vigiliam in custodiâ istius Populi, quoad planè confiterit Eadegas in suas terras recessisse. Dices Antonio Fernandi cognomento Crasso, & istis Patangatinis Caëlli veteris, disertè vetare me: ne Caëllum Vetus novâ Coloniâ frequentatum eant. & à me interminare, si secus facere attentaverint; magna id pœnâ luituros. Manuëli à Cruce, ac præterea Matthæo, cum curâ significabis: me ipsis summo affectu omnia prospera optare. Dominus Noster sit tecum, & nos corroboret suâ gratiâ, ut ei toto nisu serviamus. Vale. Manapare Kal. Aug. An. CICICXLIV.

Tuus Frater in Christo.

Franciscus.

EPI-

